


Poësi 1564.

Simonidae Simonis: Poët Propheta.

Biblioteka Jagiellońska.



II. C. 53.

POËTAE POLON.

N. 140.



4537

CIMELIA

XXV, 5. 22 L (53)

JOEL

PROPHETA

LIBER PRIMUS

1

IN ANNO VII

REIPUBLICAE ROMANAE

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII



*Il.c. 53.*

*Pap. 1564*

# IOEL PROPHETA

SIMONIS SIMONIDÆ,

AD

CLEMENTEM VIII.  
PONTIFICEM MAXIMUM.



CRACOVIAE,

In Archityp. Regia & Ecclesiastica Lazari,

Anno Dñi, 1593.

*vid. XXV. 5. 22*

BIBLIOTH. UNIV.



JAGELLONICAR

Cim. Qu. 4537

# IOEL PROPHETA

SIMONIS SIMONIDAE,

AD

CLEMENTEM OCTAVVM,  
PONTIFICEM MAXIMVM.

**P** Rinceps supreme, Pastor orbis, et Pater,  
Felicitas cum te admouebat publica,  
Mundi gubernis, iura dans summa in manum,  
Cælum recludi quæ's solet, quæ's obstrui.  
Tum mi, remoto hac frigida quamuis plaga,  
Septemtrionum cardines ad ultimos,  
Non vsitatis gaudiis tamen datum est  
Potiri abundè, & splendida spes voluere.  
Illud regustantem tuum cor inclytum,  
Mentisq; candores, procul fide ancipe  
Pectusq; curis arduum sublimibus.  
Quod mi videre tum beato contigit,  
Quando, cruenta facta post discordiæ,  
Quæ regna nostra, cum propinquis regibus,  
Amore sceptri, plus satis commiserat,  
Ab urbe vestra, missus huc, salutifer  
Pacis sequester, sanciebas fœdera,

A ij

Tutaq;

Tutaq; nos quiete compositos dabas.  
Utcunque tandem lusst anceps exitus,  
Quò fas nefasq; res trahit mortalium.  
Tunc, te mihi affari, & frui conspectibus,  
Manumq; concessum est tuam contingere,  
Haurireq; oris mel tuum, affatus sacros.  
Quam mi venustam duco gloriam unicam.  
At nunc, locare quando te virtus tua  
Diis proximo sategit vsque culmine,  
Quid me beatius foret? quid promptius?  
Quàm pedibus am sanctis tuis adsternier,  
Offerre & amplexum, & humile osculum dare.  
Non denegaret quippe laudem istam mihi,  
Benignitatis illa pulchra copia,  
Quæ larga, vestro corde, gaudet conspici.  
Adesse sed postquam vetat me, res mea,  
Puluinar ad vestrum, vel absenti tamen  
Peruellit aurem Musa, gestiens tibi  
Se se approbare, nec pudoris, nec memor  
Audacis ausus, nec suæ illa infantia.  
Amore tantum tuta vestri numinis.  
Cui laxam habenam cum semel concessimus,  
Amore eodem nempe vestri libera,  
Nil non sibi permisit, ipsas aureas  
Sedes polorum, semita ardua petens,  
Vatumq; magnis se intulit sacrarius.

Libans



Libans ocellis, abditas imagines,  
 Quas, post futuris temporum successibus,  
 Signavit illa, præscia omnium, manus.  
 Si fortè, congruus quis, ætati, color  
 Vestræ emineret, candida insignis nota.  
 Namq; aureum speravit ævum currere,  
 Nunc conditum, vestra sub indulgentia.  
 Gauisa tandem repperisse, dulcibus  
 Quicuit orsis, quâ Ioëlis, pagina  
 Intacta, soluit multiplex os carminum.  
 Post sæva bella, post tumultus asperos,  
 Post omnium, omnigenum laborum turbinem,  
 Tandem serenos, aureos laudans dies,  
 Cuiusmodi donare tu mundo potes.  
 Nam, quæ nefanda pestis, aut quis non furor,  
 Repressit orbem ad ultimam metam mali?  
 Quis porrò te placare cœlitum minas,  
 Quæ sola restat ad salutem ianua,  
 Paratior? vel mente pura instructior?  
 Magisve amicus candidis virtutibus?  
 Quæis absque vita se beata non gerit.  
 Sed me reprendit vsque Musa, amor meus,  
 Ne vocis humanæ tibi dicta oggeram,  
 Neu te amplius sermonibus mover meis,  
 Ipsum Ioëlem ducit auribus tuis,

Genus Ioëlem Patbuëlis optimi,  
Verba adferentem dia, quæ, interpres sacer,  
Dictantis hausit, ore sancto, numinis.

**S**Enum senes, ætate prouectissimi,  
Usus magister, longa & exploratio,  
Quos æstimatores catos rerum facit,  
Adeste, ad auditus trutinam accurrite.  
Tum, quicquid vsquam est, quæ patet vastissimus  
Telluris orbis, educans hominum genus,  
Omnis propages, sæcla gentium omnia,  
Adeste, pensate acribus sententiis,  
Vimq; aurium, vim mentis omnem aduertite,  
Cum pristino, æuum computantes nuperum.  
Vnquamné lucis munere hoc spirabili  
Florere dum vobis datur, vel patribus  
Dum vita vestris sole in hoc resplenduit,  
Facinora tanta, tale ad exemplum edita,  
Insignibus adeò datum nosse est modis?  
Non hïc silente lingua opus, non pectore  
Obliuioso, sed palàm vocalibus  
Animisq; , dictisq; ad renarrandum obuiis.  
Narrent parentes filiis facta hæc suis.  
Narrentq; porrò filij nepotibus.  
Porrò nepotes alteri propagini  
Imdant ferendum, ad alteram, atque ad alteram,

Æuoq;

Auoq; nullo conticescat perpetis  
Hæc penna famæ, sæculis clara omnibus.  
Atrox, nefandum carmen è heu ordior.  
Expulsa damnis damna, vulnus vulnere,  
Successiones duplicatas cladium,  
In peius excrefcente semper augmine.  
Eruca, ventri repa, deses, vermipes,  
Florum aucupatrix fœda, labes frondium,  
Virentiæ hortorum hostis impurissima,  
Primæuum honorem germinantium abstulit  
Regnorum, & orbis in iuuentam sæuit,  
Fœdans malignè pacis alma munia.  
Non sola, nec crudelitatis ultimo  
Morsu. sed ipsa postquam auaram aluum satis  
Exercuit, mox ad relictæ pabula,  
Feruens tumultu, examinum nimbos rotans,  
Alisq;, dentiumq; pollets impete,  
Imber locustæ, turbine horrendo ingruit,  
Exesor, exstirpator acer omnium,  
Radice, quicquid obuium truncans tenuis.  
Nec sat. nec isto fine consistet malum.  
Nam quicquid intactum locusta liquerit,  
Procella mox superuolans bruchi asperi,  
Idem fero insultu opprimet vestigium,  
Lateq; nuda cuncta pascendo dabit.  
Dina interim terebo, pestis peruicax,

Propage verminabit intus subdola,  
Tyranna fraudulenta, nil non vendicans,  
Nil non peragrans inquietis morsibus,  
Tenax premendo, permeans ad intimam  
Succi medullam, cortice exhausto super.

**Hæc reliquiarum reliquias pœnè extimas  
Absumet, inq; pulverem cinefaciet.**

Ô luxu, & vsibus voluptatum ebrij,  
Pulli leporum, gens sepulta inertis,  
Tempus veterno liberare lumina,  
Tempus soporis excutere grauedinem,  
Vultumq; fletu, luctibusq; tinguere.  
Vos qui memcam vitium dulcedinem,  
Auidam palati hauritis ad lubentiam,  
Modulumq; vitæ, mensam optimam ponitis,  
Adest, adest, vlulandi acuta occasio,  
Adest gemendi dira vobis formula.  
Solamen omne vestri hiantis gutturis,  
Lasciuendi omnis redundans copia,  
Labra inter ipsa, ab ore vestro euauit.  
Ô terra, ô hæredium volupe meum,  
Tuum beatum ober, tua super culmina,  
Gens robore eminens, superba viribus  
Incomprehensa nomine, numeri incapax,  
Ascendit. olli dentium serrata vis,  
Ut dentium leonis, ast molarium

Modus

*Modus tam iniquus, vt recens ipsos satos  
Scymnos leonum excedat abnormi statu.  
Florentis olim vineæ excellens decus,  
Multa frequentatum manu, multo ordine,  
Redegit ad deserta solitudinis,  
Vastamq; præstitit, prius cultissimam.  
Ficum meam, meos amores vnicos,  
Omni decore, vsque ad cutem viuam exiit,  
Ademit vsus frondium, hausit corticem,  
Spoliumq; raptans futile afflixit solo.  
Nunc illa quondam nobilis, quondam virens,  
Quondam beata fruge mellitissima,  
Præcepto honore luget, atque albentibus  
Ramis, stat agrorum perenne opprobrium.*

*O terra, non te prouoco ad luctum leuem.  
Sed sponsa qualis, nacta florentem virum,  
Ver pulchrum agentem ætatis, in lanugine  
Si forte prima amisit, intactum toro,  
Frustrata dulci nuptiarum munere,  
Omnem illico remittit elegantiae  
Splendentis ambitum, Et nitores aureos,  
Vitæq; se se damnat atris sordibus.  
Pro pallæ honore, proq; gemma lucida,  
Horroribus sacci asperis obnubila.  
Sic te esse mæstam, sic inornatam decet,  
Sic vsque atratam sacci ad aspritudinem.*

Lux illa sacrorum, illa maiestas domus,  
Quam tu apparatus struxeras Deo tuo.  
Celebritatis pristinam omnem gloriam  
Deperdidit, transcripta vastitudini.  
Non victimarum diues ampla opulentia,  
Non februis libationum præmiis.  
Flet mæsta turba, Deo sacerdotes sacri.  
Deuota cælo pectora, electum genus.  
Lessumq; lugubrem integrant, fracti malis.  
Quæcunque, quantacunque sparsis finibus  
Porrecta pandit regio latifundia,  
Furor per omnem bellicus væsaniit,  
Nullum rapinis non penetrans angulum.  
Atrata lugent arua, crudeli manu  
Ad carduos redacta, & herbam inutilem.  
Non fruge, non superba tritico annuo.  
Non lentipes illis labor amicus boum,  
Cultu reponit debitam feraciam.  
Mærent sine vlmis, inquilinæ collium,  
Motæ locis, genitrices vini in chytæ.  
Lenimen illa corporum, mensæ nitor,  
Horti medulla, mater vnici ungrinis,  
Baccis opima oliua, tota elanguit,  
Percussa tristi vulnere, atque incuriis.  
Agrorum alumni, pubes aruis dedita,  
Ob militis metum, impiæ ob sonum tubæ,

Dissecta

Disiecta, dissalata, vœcordi fuga,  
Perisse aratri vsus, perisse feruidas  
Messesq; , frumentique letam copiam,  
Penuriam vsque ad hordei vilissimam  
Deplorat. Unâ vinitorum inops manus,  
Planguntq; pugnâ pectora, vlulantq; anxie,  
Autumnitatem propter vuæ euanidam.  
O palmitum fons alme, vitigene ô latex,  
Tuos nitores ante limpidissimos,  
Nunc turbulentos stare, nunc tentos trahi;  
Nullaq; ductos ordinis solertia.  
Non miror, & te ficus, olim pinguibus  
Fœcunda ramis, nunc inique torpida,  
Vos culta mala nominis granatici.  
Vos palma amantes ponderum, premi insciæ,  
Et quotquot hortus germina arborum educat,  
Non miror, esse vos in aritudine,  
In squalè, in horrore, ætheris ludibrium.  
Quàm vestra quippe salus ab humana manu  
Dependeat, curæ colentis indiga,  
Turbante rerum summa, vitæ perditis  
Solatiis, cultore nullo reliquo,  
Vestros honores ire pessum par quoque est.

O quæ's ministris splendor altaris cluit,  
Deuota cælo corda, diuinum genus,  
Suprema nunc vos flagitat necessitas,

Non vſitatis luctibus planctum dare,  
Omnes habenas fletuum diffundere,  
Toto querellas excitare pectore.  
Vos vos reſpoſti in eminentibus locis,  
Dei ſuſetes, præſides rerum omnium,  
Præite normam ſupplicum, exemplar pium,  
Propurpura, pro lumine infulæ aureo,  
In puluerem, & ſacci ſeuera tegmina  
Descendite, inchoate funebres modos,  
Humòque dura corpus vſque affligite,  
Diesq; ſtratos videat, & nox peruigil.  
Nam cura dulcis veſtra, veſter inclytus  
Labor, beata quo ſtetit domus Dei,  
Expulſus, exul, infrequens ceſſit loco.  
Non amplius ſacro hoſtiarum munere,  
Non ſplendida libationum adorea  
Inſignis, aſt ſilentiis fœdè obrutus.  
Secernite aſterum diem ieiunio,  
Sacrate gratam numini abſtinentiam,  
Æquè domitricem cibi, æquè criminum.  
Ceſſent labores, feriatuſ ſit dolor,  
Interpolatuſ opere nullo extrario,  
Totuſ ſibi, atque luctui intentiſſimuſ.  
Vocate populi vulguſ omne, omnem tribum,  
Vocate populi capita, diuſ principes,  
Columen Senati, honoribuſ mactòſ Patreſ.

Et



Et quicquid vssiam orbe terræ maximo  
Curru citato gentium Sol aspicit.  
Adesse facite ad Regiam domini domum,  
Domum verendam, quam Deus præsens habet.  
Agite, miseriter mugiat promiscuus  
Ad astra clamor, audiendus numini.  
In antecessum, post futuros inchoans  
Vitæ eiulatus, & dici Aba asperum:  
Adest, adest, lux destinata cladibus.  
Ultrix cruenta addicta vindictæ Dei,  
Impunè cui nemo obuium tollat caput.  
Quid illa non vastum dabit? quid non rutum?  
Quanto feretur fulmine violentiæ?  
Quantis in iras emicabit ignibus?  
Rigore sæuo adulta, parcendi immemor,  
Heu heu, quàm acerbum proditum est exordium.  
Non luce, non sub visibus nostris palàm,  
Illa, illa felix, illa rerum multiplex  
Opimitas, vberq; pulchrum alimonie,  
Cesit furoris hostici ad lubricinam?  
In partem abusum, parte fœdatum mala?  
Altrice porrò copia pessumdata,  
Mortaliumq; pauperatis commodis,  
Languescit vnà maximi domus Dei.  
Festiuatatum debitis splendoribus  
Orbata, gaudiorum inops solennium,

Lugubribus tota abdita in silentiis.  
Non gleba sementi vitam seruat fidem,  
Non messis in spem creditas fruges fouet,  
Putore sed tetra hausta grana prodigit.  
Penu illud æternum, illa conferta horrea,  
Cellæq; cumeræq;, intimum ornamentum agri,  
Inanis stant obsitæ atque araneis.  
Pars dissipatæ, aut propalam æquatæ solo.  
Cessante quippe rure, & almis messibus,  
Rectâ inuolat stus quoq; in granaria.  
Quid sæcla memorem buceri, & armentas boues?  
Quantis in auras seuiunt mugitibus?  
Quali boatu pulsa tesqua personant?  
Quæ tam lubido dira, rumpendi truces  
Gemitus, querellæ inconditæ mistos sono?  
Fames, nefanda fames adarget, & improbus  
Exercitor venter, suetæ egens dapis.  
Defectâ propter pabula, & stabulis pecus,  
Caulisq;, cassa mugit ad præsepia.  
Et quotquot, herbæ sponte creto munere,  
Prati per æquor, sustinent victum vagum,  
Fusi, fugati, perciti clade vltima,  
Cessere passim pascuis trepidi greges.  
Quid restat vltra? quæ super spei via?  
Non est quod intra terminos patientiæ  
Dolor fatiscat, aut silens ictum premat.

*Frustra*

*Frustra obstinatum nitor in modestiam.  
Quin templa cæli voce, voce cælitum  
Patrem laceſſo, & obruo clamoribus.  
O rex ſupreme, o omnium Princeps ſator,  
Hæc adſpicias? vultuq; non moto approbas?  
Dum flamma fuſis æſtuans incendiis,  
Vorare geſtit dulce ſiluarum decus.  
Spelæaq; inter intima auidè perfurit.  
Uſtis fauillam ventilans mapalibus,  
Nullamq; non igne inuolans ſtirpem arborum.  
Peruaſit ardor, uſq; terræ in abditos  
Specus, ferarum inhospita ad cubilia.  
Incicur illicet animans omne excitum  
Feruore diro, vaſta perſultat ſola,  
Raptatq; modò fugam huc, modò illuc ancipem,  
Aut nare hiulca, quærit auris liberas,  
Ad te ſupinans aridam faucem ſiti,  
Exuſta qualis, æthere anni feruido,  
Hiante tellus quærit imbrem viſcere.  
Siccavit eheu ignis ipſas fontium  
Venas perennes, ipſa fluminum vada.  
Omnis venuſtas, omne pulchritudinis  
Specimen ſuperbum, ſponte quod mitis parens  
Natura, fundit ſolitariis locis,  
Hauſtum, voratum peſſimo æſtu concidit.  
Quis æneator nunc citus tubam rapit?*

*Atque*

Atq; arce de Sionis horrendum intonat ?  
Signum duelli, nuntium infandi mali ?  
Ite, entbeis bachate circum excursibus,  
Ululumq; sancto monte feralem edite.  
Percellat arua clamor, omnes incolæ,  
Omnes remotis quotquot hærent finibus,  
Terrarum alumni, ferrei sæcli genus,  
Oestro pauoris misceantur feruido.  
Turbasq; consient, mentibusq; aspris fremant.  
Adest, adest, nec longa distinet mori,  
Adest citatis ultionis cladibus,  
Dies cruenta, addicta vindictæ Dei,  
Dies tenebris inuoluta immitibus,  
Caliginosæ noctis umbris obsita,  
Nigrans procellis, cæca fædis nubibus,  
Lateq; terrifici creatrix turbinis,  
Quò cuncta uerrat, cuncta confestim opprimat,  
Ictûq; pœnè inuoluat urens unico.  
Qualis recentem quùm mari flammam ciet  
Aurora, celsos montium se in vertices  
Impigna vibrat, pœnè momento omnibus  
Inuicta solis tela spargens angulis.  
Nullumq; non uolucris locum face inuolans.  
Eheu minacis quanta uis exerciti,  
Numeri incapax, uirtute militum eminens,  
Flagrans superbo ardore fortitudinis,

Crudele

Crudele figit huic agro vestigium.  
Telluris ex quo cæpit habitari hoc solum,  
Antiquitatis ultima ex origine,  
Nemo hostis huic parem intulit ferociam.  
Nec inferet post, sæculo altero, & altero.  
Quàm vultus atrox? quanta frontium acritas?  
Quâ flexit ora, quâ viam rupere institit,  
Nimbi antecedunt ignium voracium,  
Agmenq; claudunt ponè flammaram globi,  
Procul vomentes, fumidam fuliginem,  
Astuq; nuda cuncta dantes feruido.  
O terra, amœnitatum ocelle, o unici  
Orbis medulla, Gratiis selecte flos,  
O tempe amorum, o voluptatum hortule,  
Tu nunc beata, nunc nites pulcherrima.  
Hostilis ast simul manus te fregerit,  
Feres nefandæ damna vastitudinis,  
Ibisq; deserti in rigorem luridum.  
Et quotquot uber dulce perreptant tuum,  
Fuga efferentur impotenti, nec fuga  
Clade impeditos, vlla seruabit tamen.  
Quid mirer? aut quid horream expauens prius?  
Frontisné diritatem, & aspectus truces?  
Quales equorum præliis frementium.  
An irruentum non ferendos impetus?  
Plantasq; planè præditas cursu igneo?

C

Quæris

Quæis expeditus non eques certauerit.  
Non sic quadrigæ montium insultant iuga,  
Saxa increpantes unguis sonantibus.  
Non sic edacis feruidus flammæ furor,  
Arentem acruum quando stipulæ ingurgitat,  
Torquet fauillis æstuantem turbinem,  
Lateq; sonitu pulsat auras torrido.  
Quodcumq; robur esse fortitudinis  
Usquam potest, quæcumq; gens bello effera,  
Iactat superbam gloriam duellicam.  
Hæc una princeps omnium instar est manus.  
Tota in cruorem prona, tota vulnerum  
Seua artifex, magistra bellorum aspera,  
Parata præsa cædium ad væsaniam.  
Quacumq; diros vertit orbis luminum  
Iram vomentes, ferreus passim pavor  
Oppressa sternit corda, spes agræ tremunt,  
Uncumq; cura carnifex figit trucem.  
Non stare sanguis integer molli in gena,  
Sed illatebrans intimos vitæ in sinus,  
Fædata linquit ora nigrore horrido.  
Quales caminus, oblitus fuligine  
Testas remittit, squalè tinctas fumida.  
Heu heu gigantum quanta currunt robora  
Frenanda nullis aggerum repagulis,  
Spretura quæuistela, quosuis obices,

Tanti

Tanti irruent, ferroq; iter latè dabunt.  
 Non murus illos, turriumue vastitas,  
 Arcebit vlla, machinæue desuper  
 Imbrem ruentes saxeum tonitru igneo.  
 Trans ipsa septa, transq; propugnacula  
 Cursu euolabunt peruicaces arduo.  
 Viri feroces, sueta bello pectori,  
 Scientiæ mauortiæ expertissimi,  
 Locum tueri quisq; pertinax suum,  
 Nec flectere vsquam de viâi tramite,  
 Non ordines turbare, non gradu excuti,  
 Non alter alterum tumultu obtundere,  
 Fraterue fratris premere collisum latus.  
 Quin ire calle quisq; strenuus suo,  
 Pedemq; fixa ponere ad vestigia.  
 Tum quando velox prouocat necessitas,  
 Procul fenestris præpetem saltum dare,  
 Cadent volucres, saltibus pernicibus  
 Crebri petauristæ, ignei salisubsulii,  
 Aurisq; credent corpora, alitum vicem,  
 Nec corruentes, casus allidet procax,  
 Luxator artuum, cerebri euerritor,  
 Quin expediti, & vndecunq; innoxij,  
 Pulchrè caducum deferent pedem solo.  
 Quæ porta fractis non patefcet vectibus?  
 Quis orbis angulus, ruentum ab impetu

Recedet immunis ? palam, palam, agmine,  
Densi, frementes, rapere pertendent viam,  
Urbusq; victæ, lata inundabunt fora.  
Pars emicabunt mœnibus celsissimis,  
Murosq; persultare ouantes gestient.  
Pars in domorum aprica scandent culmina,  
Tectisq; sublimes amabunt conspici.  
Nec sat, per amplas, limine emotas fores,  
Penetrare dabitur, ad rapinas ædium.  
Nô, quâ vocauit ardor audendi impotens,  
Ipsas fenestras moliantur scansiles,  
Aditusq; captent auios, nisu improbo,  
Furum æmuli, rapace dextra auidissimi.  
Nec te quietam, pondere æterno sitam,  
O magna tellus, alma nutrix omnium,  
Nec te licebit sede tranquilla frui.  
Simul, nefanda luce, fulserit tibi  
Hostilis oculus, heu misella, non feres  
Nec te tenebis mole fundatam tua,  
Sed contremisces artubus penitissimis,  
Lateq; quassa cuncta sternes dissipans,  
Conata dorsum pessimis subducere.  
Nec vos, corusca regna, sedes astricæ,  
Beata cæli maximi palatia,  
Quæ, pulcher ordo, cursibus rotat vagis,  
Nec vos, chore.æ semper inclytum decus

Iuuabit,



*Iuuabit, aut libebit instare hunc gradum.  
Loco moueri vos tuor vestro quoque,  
Frigoribusq; concuti vastissimis,  
Orbesq; concursare lapsos perpenim.  
Tuq;, o diurni muneris fons auree,  
Mundi oculo, radiorum perennium sator,  
Thesaurus vnicus corusci luminis,  
Sol alme, tu lugebis atrata gena,  
Vultusq; merges in tenebras horridos.  
Tecumq; consors ipsa mæstior tua,  
Fax noctium, iubar secundum cælicum,  
Splendore destituta munifico tuo,  
Quassabit incassum rubentem lampada,  
Ferule nigrans, nocte tota condita.  
Quin picta stellis, pruta cæli florida,  
Mærore opaca, subtrahent ignes suos,  
Poliq; peplum deserent, luctu obsitum.*

*Non ante, ferri se tamen stringet rigor,  
Ius, fasq; donec iusta clarigatio  
Testata, promulgarit, atq; edixerit,  
Qua lege læsi numinis flectant minas,  
Quo more pollutos honores sarciant.  
En Imperator ipse rerum maximus,  
Cui omne robur, omne sæclum militat,  
Structos priusquam iubeat ire exercitus,  
In hosticoq; ponat vlticem manum,*

Vocem ante mittit facialem nuntiam,  
Iniuriasq; iure repetitum venit.  
Ut parte se quoq; hac probet iustissimum,  
Pollentiamq; dexteræ ostendat suæ.  
Non, nescios, monitisq; non coërcitos,  
Se fraude velle improvida conuoluerè.  
Palam, palam olli virium stat copia,  
Nec vna castra, militisvè vnum genus,  
Sed gentium pæne omnium electissimi,  
Superfluam euocati ad exsuperantiam,  
Late, stativa collocantes omnibus  
Campisq;, regionumq; nullo non solo.  
Quis acrius nihil, nihil ferocius,  
Duraciusq; audacibus periculis,  
Aut iussa sacra promptius capessere,  
Ausuq; strenuo imperata persequi.  
Ut vultu signa, vt cædium licentia  
Permissa, clangorem tubarum exaudiit.  
Diesq; dictus ultionis vltimæ est.  
Nil hoc cruentum, nil magè enorme, aut ferox.  
Spectabit orbis obrutus formidine,  
Nec stare contra impune, nec pertendere  
Cuiquam licebit, poscere aut veniæ modum,  
Usq; obseratis auribus clementiæ.  
Nunc nunc, benigna, mitibus se induciis,  
Indulget hora, nunc Patritus optimus

Pater

Pater ipse, criminum ultor olim acerrimus,  
Poscit receptum transfugæ mentis sibi,  
Pacisq; blanda lege condicit fidem.  
En sponte amica voce deuos ciet.  
Quò, quò scelesti pergitis? quò vos pedes  
Ducunt prophani, vultibus nostris procul?  
Reuocate cursus impios, retro date  
Fugitiua vela, flectite ad portus meos,  
Reddibete cordis debitam sedem mihi,  
Sed integram, sed candidam, puram, putam,  
Omni carentem labis adnexa nota,  
Plenamq; , concessamq; mi medullitus.  
Nil subdolum, nil namq; fictum admittimus.  
Duxq; adsit vnà, pressa continentia,  
Succincta non procacibus ieiuniis.  
Adsitq; lectus, ipse damnator sui,  
Commissa tergens lachrymis fidelibus.  
Totoq; planctus surgat ingens æthere.  
Non vestium lacerator ille, aëst cordium,  
Dolore findens intimos mentis sinus.  
Auditis? an surda arcet obstinatio?  
Adeste, adeste, vertite indignam fugam,  
Redite verna turba pristinum ad larem,  
Reddibete vos hero fugaces seruuli.  
Non cum hoste vobis, non tyranno cum aspero  
Res est futura, Dominus ipse vester est,

Deusq;

Deusq; vester, omnium optimus sator.  
Patens ad omnem gratiæ indulgentiam,  
Vel ipsa vota promptus anteuertere.  
Dans cuiq; pectus obuium, obuios sinus,  
Uber benignum, matris almæ viscera,  
Fessisq;, pœnè condolens sensu pari.  
Non nare acerba, lentus iras voluere,  
Differre non asper, opulens clementis,  
Miserationum planè inexhaustum penu.  
Iam iam flagellum comminatus, & mala  
Intenta vibrans, mox remissus & fauens.  
Parcus nocendi, supplices facilis pati,  
Ab ultione dimoueri flexilis.  
Hæretis insulsi? vllaiue dubitatio  
Retentat vsque criminum mentem ream?  
Speiq; pulchræ liberis cludit vias?  
Infestus esse quis sibi tantum potest?  
Benignitate vt se abdicet Dei sui?  
Dirisq; vitam destinet perennibus?  
Numenq; fingat prorsus intractabile?  
Hoc discere, hoc cura mage est capessere.  
Sceleribus aduersum Deum, virtutibus  
Solere placari, & redire in gratiam.  
Feros domare, cernuis ignoscere.  
Nec stirpitis conuellere decora inclyta.  
Quin linquere benedictionum reliquias.

Ut, quã mearit prospero vestigio,  
Sepulta surgant sacra, surgant germina  
Diuorum honorum, munus & libaminis,  
Deo dicandi perpetim libaminis.

Eia intonetur æneæ sonor tubæ,  
Signum seuerum, publici carmen mali.  
Sint feriata sæcla ritu sobrio,  
Semota mensis pinguibus, cultu aspera,  
Amsancta fruge dapilis ieiunij.  
Vocate cœtus, & susfetes cœtuum,  
Adsint gregatim densa popli examina,  
Plebs undiquaq; confluens, immiscua,  
Adsit corona concionum nobilis,  
Ciues disertis, concilij electum decus.  
Vosq; , ô verenda capita, grandæui senes,  
Et paruulorum currat alma ætatula.  
Et quotquot vsq; lacteam nefrenduli  
Mulgent opem, tenelli alumni infantiaæ,  
Nutricum habendi vagiant in dexteris.  
Nec te, recenti maacte mentem gaudio,  
Par est leporum blanda dona carpere,  
Lente impeditum dulcibus complexibus.  
Linque, ô beate sponse, felicem torum.  
Tuq; , ô voluptas unica, thalami iubar,  
Iucunda sponsa, linque secessus tuos.  
Age, ocysus te elimina, viam rape,

D

Matrumq;

Matrumq; te te cæteros adde in greges,  
Quæ tum vacabit planctibus sedes feris?  
Non ipsa, inaccessa ante mæsto luctui,  
Delubra, læta numinis præsentia,  
Defendet à squallore, sanctitas vetus.  
O arca, ô statio ministrorum Dei,  
A fronte templi, altare quæ discriminas,  
Solis sacerdotum frequentata pedibus,  
Pulsanda quantis fletibus remugies?  
Dum mæror in te fræna diffundet sua.  
Flebunt sacrorum præstites, dium genus,  
Viri verentes numinis, mystæ pij,  
Atque omni guttis proluent calentibus.  
Ibitq; mussans murmur, anxie ingemens.  
O parce, parce, dulcis ô quondam pater,  
Tuo popello parce, parce vernulis.  
Ne dede turpitudini, aut opprobrio,  
Heredium tuum, tuam sortem unicam.  
Ne perduelles, Barbari impurissimi,  
Manu tyranna fæditer tuos premant,  
Tuiq; honores vellicentur indidem.  
Procaxq; lingua, sumat aptam copiam  
Mali veneni, teq; per nos vulneret.  
Quis sospitator noster ille tu Deus,  
Impune carpens, teq; lancinans palam.  
Nec supplices fuere frustra, nec mori,

Exarsit

Exarsit ingens ossibus Dei dolor,  
Iraque non ferente contumeliam  
Commotus, haut tulit suum lædi decus.  
Ipsamque tellurem super miseritus est.  
Mentemque suscepit quietam erga suos.  
Multumque de rigore dempsit pristino.  
Ultrò benignæ temperans veniæ modum.  
Dictisque amicis lenè responsum dedit.  
Voce ipse pacata calans populum suum.  
En læta vobis rura, lætas frugibus  
Reddo nouales, vile est annonæ forum.  
Et lætè opimis horrea ampla messibus.  
En vitis vltimos densa vestit fertiles  
Vuis onusta, mustei roris parens,  
Medella vitæ, nectar orbis unicum.  
Nec pinguis usquam deest oliui copia,  
Aui refectrix, recreatrix virium,  
Stant densa lætè arbusta, siluis æmula,  
Honore baccharum affatim ornatissima.  
His este macti commodis, his præmiis,  
Nec amplius manete gentium pudor.  
Nec turpitudine iniqua nominis mei.  
Et hunc opacæ noctis ex propagine,  
Frenetici septemtrionis filium,  
Belli procellis efferatum immitibus,  
Tundam, repressum sedibus vestris procul.

*Saltusq; in inuios, inhospita in loca,  
Pulsum supinabo, accolam inculti soli.  
Iacebit umbra, maximi cadaueris,  
Protensa longinquo orbe crudis artibus.  
Qua sol renatus aureos ortus ciet.  
Undamq; lustrat æquoris cognominis,  
Hac summa frons, apex nefandi verticis  
Voluetur, ora littoris vastissimi.  
Ast corporis margo, pedum statumina,  
Idem relapsus quâ diem sol occulit.  
Sternentur, vsq; marmor ad nouissimum.  
Ibitq; cælo fætor affatim arduus.  
Tabo eliquatus, pabulum sipedinis,  
Ibitq; putredo insepulta, verminans,  
Redhostimentum rancidum superbiæ,  
Quâ gesserat se se impotenter, vls modum,  
Victoriæ frænare iura respuens.  
Nunc pulchra tellus, nunc amica mi sola,  
Aruum politum, nunc inertu te metu  
Vacare mando, mando comptam viuere,  
Et lusibus dare otium, & terere diem,  
Festisq; lasciuires lautam gaudiis.  
Tanti æstimatam, quando te Deus tuus  
Ornare quærit, nec laborem defugit,  
Magnum laborem, dextera pignus suæ,  
Quò splendidam, quò te superbam prouebat.*

*Prodite*



Prodite lustris, antra cæca linquite,  
Meticuloso arcete curam pectore,  
Fæcunda pecua, liberum armenti genus,  
Quodcumq; nutrire patria hæc amat.  
Discessit agris horror, ubertas virens  
Priscum nitorem reddidit tequis locis.  
Et quæ rigebat gleba, deserti vicem,  
Lappisq; , carduoq; latè squallida,  
Splendere gaudet, flore picta lucido.  
Turgere nimi gestant gemma noua.  
Fructumq; nulla non suum arbor parturit.  
Et ficus omnem præstitit dulcedinem,  
Et vua totam suauitatem maximam.  
At vos nouella turba, spes domus recens,  
Pulli parentati, iuuentæ flosculus,  
Sanguen Sionis, affecle sapientiæ,  
Hoc tempus, hoc est, quo vagam diffundere  
Mentem datur, studiisq; lætis prouehi.  
Vitulate magno gannientes ludicro,  
Vitulate certa numinis præsentia.  
Numen voluptas vestra, numen sit lepor,  
Et lusus, & venusta subsultatio.  
Talem magistrum, disciplinæ præsidem,  
Ducem irrepresum, corculum peritiæ,  
Vobis redono. Cuius ore limpido,  
Fontem bibetis veritatis aureum,

D ij

Æterna

Aeterna iuris, atq; legum sagmina.  
Hic vos, hic arte finget exactissima,  
Quales fuisse constitit, primo satum,  
Olim profectos optima ex origine.  
Nec vdas cæli vena, sudis imbribus,  
Rorem feracem, fundere in terræ sinum,  
Usquam negabit, mane seu roseo, facem  
Aurora, currus ante solis proferet,  
Seu condet obscuranda serò lumina.  
Et anteuertens, & diem ponè insequens,  
Ceu lauta mundi forma primitus fuit.  
Iam iam, reposta maximis gminariis  
Frumenta turgent, personant tunsæ aræ,  
Dum munda aristam linguere expetit seges,  
Surgunt acerui, adoræ & locuples penu.  
Gemunt referta præla, vitigenus latex,  
Expertus vsque crebra plantæ verbera,  
Undare quærit, vuidus largo alueo,  
Quæritq; oliui undare blanda opimitas,  
Cibi nitella, pingue mensarum decus.  
Nil molle, paruis ausibus nil ordior,  
Sed virium, pollentis atq; roboris,  
Ingens opus, quo nostra se vobis palam  
Probet potestas, vsibus vestris data,  
Qua compotiui vos superne præditos.  
Valere iam iubete languidam famem,

Cænisq;

Cænisq; vos curate pollucibilibus.  
Licet venustos agere conuiuas, licet,  
Vel ad palati maximam lubentiam,  
Cui sola deniq; satias ponat modum.  
Tunc ore vestro, sit meum nomen frequens,  
Tunc pulchra laudum dona, tunc præconia,  
Reponat altis, lingua grata, nubibus,  
Quæis vester esse noscar & Rex, & Deus,  
Ingentium patrator in vos munerum,  
Stupore fingens corda præstitis bonis.  
Hac sit secuta vos tenuis confusio,  
Hac seruitutis Barbarum contagium.  
Deinceps vetabo cum prophanis viuere,  
Gentem mi amicum, segregem populum mihi,  
Priuo fruentem libero consortio,  
Vel vsque sæcla perpetim ad perennia.  
Nec me pigebit præesse vestris cætibus,  
Coramq; in Israele conspici meo,  
Medium frequenti ciuium comitio.  
Nescire nemo vt possit obtutus meos,  
Sed scire cuncti me Deum, & Regem suum.  
Cui possit alter nemo comparariet,  
Qui sceptrum postmodo ista nulli cesserim.  
Rex ipse, Princeps ipse vester vnicus.  
Certum est, in vnum dissipatos cogere,  
Certum, exules donare patrio solo,

Nec

Nec perfido amplius iugo sinere opprimi,  
Nec inquinari sordibus promiscuis,  
Latus hęc purum cum prophanis iungere.  
Sincera sed durare sæcla perpetim,  
Claudenda nullo fine, nullo termino.  
Migrabit ætas ista pridem sæuior,  
Pulchrumq; pulchro tempori cedit locum.  
Iam ventilari blandientes expetunt  
Auræ, & serescit purior cæli dies.  
En ipse, flamen, en meam vim maximam,  
Depromo, deq; fundo largo flumine,  
Cæleste munus, carnis in glebam rudem,  
Nil corporum auersatus obscura augmina.  
En faxo, proles vestra, vestri liberi,  
Maresq; , sexus & minor virgines,  
Lymphata nostro corda tacti numine,  
Onculorum dia fundent carmina.  
Vatumq; primas sortientur glorias.  
At maior ætas, incluti casci senes,  
Dum fessa lentus membra distinet sopor,  
Mensq; exsoluta liberis pennis volat,  
Catas futuri somniorum imagines  
Cernent, repanda porta quæ fatis patet.  
Porro iuuentus, perspicax visu mage,  
Palam, sub ipsa luce, promptis sensibus,  
Coram intuentur spectra rerum lucida,

Viuos

*Vivos colores imminentum euentuum.  
Nec te, secunda turba, parata mancipi,  
Nec te relinquam munerum exsortem meum.  
Vobisq; seruuli, meo de spiritu  
Impertiam, vobisq; bellæ ancillulæ,  
Mensura herili, copia lautissima.  
Cælumq; telluremq; portentum metu  
Quassabo. tu percussa terra, gurgitem  
Volues cruorum, cædibus tota obruta,  
Imberq; te coruscus, ardentum ignium,  
Figet supernè, incendiis procul furens.  
Fumabis, heu misella, feruore vltimo,  
Anbela ructans pectora, in mundi cauum,  
Vaporq; te auris, & fauilla differet.  
Hic sol, hic almæ lucis auriga aureus,  
Atratus ibit horrida ferrugine.  
Tu luna, lumen alterum purissimum,  
Hæc omnia lactea, iubar hoc argenteum,  
Cruore tingues, discolor, væpallida.  
Tanta antecedent monstra. tandem maximus,  
Pollens procellis, turbinum promus minax,  
Formido, & horror orbis, horror sæculi,  
Ultor supremus, ingruet Domini dies.  
Hæc summa rerum, hic hæret altè terminus.  
Quem nulla post momenta verterint loco.  
Quin consset id, quod stat ratissimum fore.*

E

Tunc

Tunc nominis nostri inuocatores pios,  
Sacrata cælo pectora, electum genus.  
Vitæ asseram, fatoq; subtraham assero.  
Ipso Sionis quippe pulchro culmine,  
Ipsisq; Solymes inclytis pomæriis,  
Salus vigebit. tuta virtutum choro.  
Nec cæteros plerosq; non contexero,  
Lectû nouo accensos supernumerarios,  
Seruare quos mi cura, quos labor fuit.  
En fiet illis, fiet vsque lucibus,  
Cum præstitutam tempus orbitam teret.  
Quo seruitutis compedem, & crudum iugum,  
Demam meis Solymis, meo Iudæ unico,  
Reddamq; iura Ciuibus postliminj.  
Tum conglobabo gentium mista agmina,  
Omnem superbam Barbarûm propaginem,  
Ducamq; mecum iure consertos manu.  
Quâ plana pandit septa territorij  
Vallis Iosaphat, iudicij Campus sacer.  
Hic mi tribunal stabit, hic creperum forum,  
Hic iusta litis iurgia aduersum reos.  
Quænamq;, calculumq; poni mi volam.  
Meo popello, hæredio meo super.  
Quis tam proteruè libuit esse iniuriis?  
Ut Israëllem, nostri patrimonia,  
Tam diriter, tam pessimis tuis sum modis,

Irent redactum ad ultimas minutias.  
Sparsumq; vastis gentibus disploderent.  
Cur ausa nostrum pertica aruum carpere?  
Dominisq; partem vendicare non suis?  
Heu heu, meorum, capita mi charissima,  
Vilis fritillus, vana lusit alea.  
Impubis ætas, volupe matrum gaudium.  
Heu profedas, nefanda merces, ad lupas,  
Iuit, libidinum pudendum præmium.  
Heu ebriosus miles, heu gurgis meri,  
Tæmeti amore sauciari se expetens,  
Florem puëllarum, aureas virgunculas,  
Vini propolis obligavit impius.  
At tu superba ciuitas Sydonia,  
Tu ciuitas Tyri, Palæstinum & solum,  
Quodcunq; nostris finibus iungis latus.  
Pot'esne quicquam triste, quicquam inhospitum,  
Narrare de meis? aperte & conqueri?  
Tibine mecum quiuit intercedere  
Offensa quæquam? ires vt ultum iniurias,  
Priusq; læsa, redderes noxam parem.  
Si te nocendi tanta vexauit sitis,  
Impunè vt incurfare sperares meis,  
Et damna spontè innoxius procudere.  
Dicto ocyus, mox mox tibi rependero,  
Iusta libella, talionem asperrimum,

E ij

Tuumq;

Tuumq; cornibus tuis frangam caput.  
Auri talenta, diuitem gazam meam,  
Perfecta gemmis vasa, signis aspera,  
Et quicquid argenti extulit domus mea,  
Mala abstulistis fraude, raptu pessimo.  
Ipsosq; honores, queis serenari meam  
Ego professus mentem, & expleri solens,  
Et quicquid in rebus meis pulcherrimi,  
Demptum mihi, obscenas Deum vestrum in domos,  
Fædè intulistis, & sacra stis perperam.  
Gnatos Iudæ, nobilissima corpora,  
Gnatosq; Solymes, liberum semper genus,  
Quæstistis aucupio plagj iniustissimo.  
Proculq; venundastis oram in Græciam,  
Trans vasta terræ spatia, trans magnum mare,  
Ne spes misellis vlla, perpetim foret,  
Dulcem videndi patriam, & patrum domos.  
Non sic abibit, non, sed obuersum malum  
Torquere certum est vestra contra pectora.  
En, queis in oris, institores improbi,  
Mercatu iniquo, conuolantes ad lucra,  
Distraxtis incolas meos, germen meum.  
Inde excitos, seruaq; raptos compede,  
Mibi reducam, & liberam asseram manu.  
Ruet retorta vestra retributio  
Vestrum in caput, frigetq; vos iustam vicem.

Vestrum



Vestrum propagmen impium, sobolem notham,  
Natosq; iunicumq; læta corpora,  
Dedam sub hastam, filiis Iudæ in manum.  
Passimq; vos, vilis precj, mercem malam,  
Vendent, reuendent, vsq; ad ipsos vltimos  
Orbis Sabæos, distitam gentem procul.  
Non est Dei, mutare, quod ratum semel  
Enuntiarit ore constantissimo.  
Percellat aurem gentium clamor minax.  
Volent frequentes nuntij, voces fremant,  
Pandantur alta claustra, bellorum viæ,  
Arma, arma, conclamate, stent iusti dies,  
Vexilla pinnis ventilentur arcium,  
Deuota ferri sæuiat licentia,  
Nil sanctius sit cæde, nil antiquius,  
Scandant feroces trossuli, scandant equum  
Instrata dorsa, tectu ferri fornice.  
Ruant phalanges, quiq; robustissimi,  
Quacunq; terræ parte, quocunq; themate,  
Dent magna, bello consecranda nomina.  
Gemant resectis officinæ incudibus  
Nil tela præter, præter armorum struem,  
Festinet expedita fabrilis manus.  
Vel ipsa aratra, ruris apta muniis,  
Bellorum in vsus asperos refingite.  
Eat rigorem in ensium dens vomeris.

Eantq; dura sarcula, & scaber ligo.  
In gessa tela, in longi umbres lanceas.  
Vel efferrari nunc liceat inertibus,  
Gnauamq; sese iactet ima imbellia.  
Dicantq; segnes, fortium nos æmuli,  
Victoriarum conditi ad palmarium.  
Ite, omnibus mundi plagis, omni loco,  
Mouete signa, conuolate, erumpite.  
Cogite vires maximas exerciti.  
Densi manipuli ferueant cohortium.  
Hic campus, hic est, hæc duellica area,  
Tinguenda vestro sanguine, hic latè dabo  
Stratum omne vestrum robur, afflictum solo,  
Humumq; mordere faciam audacissimos.  
Non hoc sedendi tempus, aut lentæ moræ.  
Properate magno sistier vadimonio,  
Omnis propages, gentium sæcla omnia,  
Vallem in Iosaphat, iudicij Campum sacrum,  
Quo dicta vobis est dies seuerrima.  
Hac sede Iudex, orbis omnes incolas,  
Coram euocatos, litigantes audiam,  
Cernamq; prolatu ultimæ sententiæ.  
Adultæ aristis iam seges falcem vocat,  
Ite ð frequentes, dura messorum agmina,  
Telluris hanc densam comam, satum arduum,  
Sub cultri acumen profecantes mittite.

Cessare

Cessare nulli libeat ex operis meis,  
 Vindemiæ celebramus vda tempora.  
 Iam protulit se plena tandem autumnitas,  
 Iam vasa vinitorcula vbertim scatent.  
 Iam præla feruent, iam trapetes æstuant,  
 Summam potitum copiam excreuit scelus.  
 Diffusa latè criminum exundant vada.  
 O plebs, misella, plebs misella, ter, quater.  
 Non vallis ista, non solum fixum te habet.  
 Sed cespes Orci, sed vorago perfida,  
 Campus ruinae, funerum gurgēs vorax.  
 Iam iam, nec arcet longa terminum mora,  
 Quum se arduus mundo inferet Domini dies,  
 Hac valle sæua, cædium hoc stato loco,  
 Pœnas luetis, lancinati cruditus.  
 En seuit ipse sol tenebris horridus.  
 En luna, lumen impiatis denegat.  
 Nox atra stellas distinet, porta ætheris  
 Oppressa, vultus aureos cæli abstulit.  
 Rugiet Sionis arce Dominus infremens,  
 Vocemq; Solymes edet altis turribus.  
 Vocem, polorum tecta moturam loco,  
 Terræq; moturam refractos cardines.  
 Fatiscet icta tota mundi machina,  
 Et fluctuabit funditus caduciter.  
 Vos interim, mei Israël, gens mea,

Fisos mihi, secum conteget quies.  
Ad me recepti, spe mihi innixi rata,  
Degetis immunes, periculis inuij,  
Meo refulti tuta corda robore.  
Sensuq; dabitur scire compertissimo,  
Quod ipse vester Dominus, & vester Deus,  
Sionis arce, montium sanctissimi,  
Charissimiq; montium mihi omnium,  
Diuerto præsens, & meam sedem hîc gero.  
Atq; ipsa Solyme, sidus vrbiû & iubar,  
Apex supremus elegantiae vnicae,  
Primos honores sanctitatis auferet,  
Splendore maiestatis arduo eminens.  
Quam fronte prona, subq; missis fascibus  
Urbes adorent, & stupefiant omnium  
Lumenq;, reginamq;, latè gentium.  
Nemoq; deinceps perduelis perfidus,  
Nemo exterius grassator, aut prædo rapax,  
Pertendet incestare contactu impio,  
Pedemue sanctis ponet impurum viis.  
Ventura, nec mutanda quondam sancio.  
Quum pulcher ille fulserit mundo dies,  
Nouos lepores promet ætas aurea,  
Non mella pratis efficax apum labor  
Leget minutim, cellulis condens cauis.  
Sed montium fœcunda sese viscera,

Passim

Passim refundent, nectaris satu oblita,  
Roresq; largos proferent dulcedinum.  
Passimq; colles lacte manabunt mero.  
Olimq; Iudæ regio, fluminum indiga,  
Sitim relinquet siccitatis aridam,  
Nulloq; non reuoluet vndas riuulo.  
Ipsq; Regis maximi palatio,  
Prodibit ingens, limpide parens aquæ,  
Fons largus, amplo se vomens ex aluco,  
Spinisq; torrentem procul cognominem  
Ditabit, ad Iordanis vsq; littora  
Fluctus propagans, irrigator prodigus.  
Ægyptus, hæc Ægyptus, aruum perfidum,  
Hostilis ora, nunc tumens successibus,  
Inculta, desolata, contemptissima,  
Iacebis, olim, turpe spectrum cladium.  
Et vos Idumes regna, latronum domus,  
Fruudum officina, ergastulum doli mali,  
Et vos nefanda damna deserti manent.  
Sic vasta, sic fædata squallore ultimo,  
Sic inquinata pessimis incuriis.  
Cedetis in prauum lucrum, furi improbo,  
Palamq; præmiator, & prædo vagus  
Vos permeabit, ganniens raptu impio,  
Ut nulla deinceps vos satis seruet salus.  
Hac scilicet mercede vobis venerit

F

Iniuriarum

*Iniuriarum nullus in Iudam modus.  
Fact.æq; cædes innocentum corporum,  
Sanguisq; largè fusus in terræ sinum.  
At terra Iudæa, incolas populos suos,  
Fouebit æternum, beata & libera,  
Habitata semper, culta semper impigrè.  
Vobisq; Solymes ampla territoria,  
Semper vigeant ciuium frequentia,  
Hac stirpe gentis, hac, & altera procul,  
Usq; ad perennes gentium prosapias.  
Purumq; , mundatumq; sanguinem dabo,  
Mundare quem forte hætenus neglexeram.  
Sionq; mons, ocellus iste collium,  
Me præside, & rectore me, regnabitur.  
Regnabitur vel perpetim, omnes sæculi  
Vls terminos, vls atq; metam temporum.*

Iesu Christo laus & gratia.




BIBLIOTH. UNIV.



JAGELLONICAE





9